

Prot. No. 242/66  
(In responsione fiat mentio huius numeri)

Eminentissime Domine,

Uti Eminentiae Tuae Reverendissimae notum est, in Audientia diei 20 novembris anni 1965, Pontificiae Commissioni Codici Iuris Canonici recognoscendo concessa, Summus Pontifex Paulus VI normas tradere atque suggestiones indigitare benignissime dignatus est, quibus ducta haec Commissio, iamdudum quidem constituta, sed, perdurantibus Concilii Oecumenici laboribus, nondum plene munere fungens, nunc tandem plane incumbere valeat operi sibi concredito, videlicet legum canonicarum recognitioni, attentis praesertim declarationibus decisionibusque a Concilio Oecumenico Vaticano II prolatis.

In plenaria Congregatione diei 25 novembris subsequentis, Eminentissimi Patres, eiusdem Commissionis Membra, diligenti examini subiecerunt labores quos de certis quaestionibus fundamentalibus diversae Consultorum Subcommissiones ad hoc constitutae sedulo absolverant atque conclusiones quas paraverant.

Urget nunc, post Concilii edita decreta, in tantae molis munere operam augere, ita vero ut in opere Codicis recognitionis activam quantum fieri possit partem habeant universi mundi Episcopi.

Quamobrem Eminentia Tua Rev.ma enixe rogatur humanissime curare ut, quamprimum possibile sit, Secretariae Commissionis (Palazzo dei Convertendi, Via dell'Erba 1, Roma), mittantur nomina canonistarum, qui, de iudicio Episcoporum Conferentiae, in ista regione eminent, indicata quoque eorundem speciali competentia, ita ut inter eos seligi valeant consultores aut collaboratores, si quos adhuc nominandos censeat Summus Pontifex.

Item velit Eminentia Tua Rev.ma curare ut eadem Episcoporum Conferentia: a) suggestiones de recognoscendo Codice, si et quas proponendas habeat, cum eadem Secretaria communioret; b) suggestiones etiam proponere velit circa modum quo, iudicio Conferentiae, relationes inter Conferentias Episcopales et Commissionem stabiliri valeant, ad cooperationem earundem cum hac Commissionem in bonum Ecclesiae obtinendam.

Spes quidem ita validissima adest fore ut, cunctis Episcopis ex toto catholico orbe cooperantibus, redactio novi Codicis efficienter progrediatur atque feliciter absolvatur, utque plenius decisionibus Concilii Oecumenici Vaticani II et Ecclesiae necessitatibus, quantum fieri possit, respondeat.

Tibi addictissimus

P. Card. Ciriaci, Praeses

Raimundus Bidagor, S.J., Secr.

W. Oncling, Secr. ad.

---

Em. mo ac Rev. mo Domino  
D. no Raul Card. Silva Henriquez  
Praesidi Conferentiae Episcopalis "Cilena"  
SANTIAGO DEL CHILE